

DOCUMENTA GENERALE

RALIA, EX REGVLIS ARITHMETI-
cæ de minutijs physicalibus, pro usu harum
tabularum necessaria præmittere.



ANTO reuera digniorem primam causam iudicare debemus, quanto mirabilia ab ea dependentem naturam operari videmus, teste Philosopho in libro de cælo & mundo. Ex sui nature operatione extrinseca eius excellentiam facile contemplamur. Voluit enim Deus gloriosus & sublimis, cuius nomen sit in æternum benedictum, & ultra, quicquid natura occultè operatur & intrinsece, per signa præstare exteriora. Cælo igitur tot fulgentia impinxit sydera, vt rationalis creatura ad diuinæ Trinitatis exemplar facta in ipso cuncta futura legeret, atque eo ordine venientia intelligeret, quo ab æterno à diuina sunt Prouidentia præuisa, quod ex nulla præiacent materia, omniquè corruptione expers in rerum naturam produxit, tot & stellis & motibus tam fixis quàm errabundis ornauit, vt ista suscitarent inferiora singula producendo, quæ sub mobili spheræ lunaris vertigine agitantur, nostræ denique vt forent ratiocinationis occasio.

Hinc Astrologicam scientiam sumpsisse exordium rectè arbitramur. Sol enim atque Luna omnium in hoc mundo viuentium vita sunt post Deum, inquit Hermes ille antiquus aphorismo primo &c. Astrorum igitur sapientes cum hæc inferiora regi à superioribus intellexissent, iuxta illud Ptolemæi: Vultus huius seculi subiecti sunt vultibus cælestibus, verbo nono sui Centiloquij: mutationum causas huius elementaris regionis, ex superioribus attendi debere concluderunt, dicente Philosopho: Solis motus in obliquo circulo est causa generationis & corruptionis inferiorum, & secundo Physicorum: Homo generat hominem & Sol. Volentes autem discretius deuenire in cognitionem causarum certiores prædictorum, conditiones super cælestium, & respectam quo ad nos & ad seipsa obseruare tenentur. Quare præsci Philosophantes Zodiacum primi mobilis tanquam spacium, sub quo cætera mouentur mobilia, in duodecim interstitia distinxerunt æqualia, vt rectius cuiuscunque interstitio quodcunque mobile, tempore quolibet subiaceret, comprehenderent, quæ duodecim signa appellarunt, eò quòd vim signi haberent super elementis. Tales autem intercapedines cum essent maximæ partes prædicti Zodiaci, quamlibet in 30. minores, & sic totum in 360. gradus subdiviserunt Zodiacum, eò quòd gradientium Planetarum successiuo ordine ascensum vel descensum perceptibiliter commo-
strarunt.

*MS. P. 111. 1111
10. 111.*

Zodiacum